

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi  
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**


**Pasquali, Giovanni Battista**

**Venetiis, 1755**

Ante Vitam Hannibalis

**urn:nbn:de:gbv:45:1-844**

ci, Dominationi tuæ legendam tradere, & nomini tuo clarissimo dedicare. Nam non parum fructus & utilitatis exemplo clarissimorum virorum quamvis gentilium nobis offerre possunt. Hinc est, quod multi sapientissimi viri historiam vitæ magistram appellavere; nam longe difficile mihi videtur hac tam brevi ætate nostra, Imperatorem rem bellicam, Senatorem Rempublicam bene & prudenter administrare posse, si clarissimorum virorum res gestas non perlegerit: multum plane ipsa præcepta, quæ a doctissimis viris traduntur, permultum etiam multarum rerum usus nobis prodesse poterit, si cum exemplis præstantissimorum hominum conjunctus fuerit. Quis enim est, qui justitiæ amore non ardeat, si Aristidem Atheniensem legat? Quis est, qui animi libidinem non extingueret, atque castitatem coleret, si Alexandrum, Darii filias mira & singulari pulchritudine ornatas accuratissime intactas servavisse audierit? Quis legendo Fabritii fortitudinem, non admiraretur & coleret; qui neque auro, neque terrore ingentis bestię a feroci Pirro sua animi magnitudine dimoveri potuit? Nescio profecto quid sit, quod magis animos nostros ad colendas virtutes trahere possit, quam ipsa rerum gestarum cognitio. Quis est, qui se omnino litterarum studiis non devoveret? Si aut Platonem in Ægyptum proficiscentem studiorum gratia legeret; aut Apollonium Arabiam, Syriam, Persas, Medos disciplinæ causa petentem audiret? Sed unde est, quod apud Græcos gesta & laudes clarissimorum virorum convivii canebantur, nisi ut ad virtutes comparandas adolescentes provocarent? Hinc est, quod Demetrius Phalereus Ptolemæum Regem admonuit, ut libros, in quibus boni Regis officia scripta essent, nunquam e manibus dimitteret. Itaque Fabium Maximum virum clarissimum legas obsecro; tanti enim hunc prudentia aut fortitudine animi, ut universos pene Romanos antecelluerit. Quis dubitat nisi Fabium in summo illo labore ac periculo rem Romanam servavisse? Quem non ut prudentem tantum, sed prope vatem omnium, quæ tunc evenerunt, Romani admirabantur. Quod si Terentius Varro vir temerarius consilio Fabii usus fuisset, nunquam Hannibal tantam Populo Romano calamitatem inflixisset; nunquam Cannarum Vicus, tot cadavera, tot funera vidisset; nunquam Populus Romanus stragem suorum Civium tanto quæstu luctuque deplorasset. Sed quid tanta cura Fabium laudare nitimur? sui ipsius res gestæ qualis in re publica, qualis in re militari fuerit a capite, ut ajunt, usque ad calcem diligentissime indicabunt.



## ANTE VITAM HANNIBALIS

*Donato Acciajolo Interprete.*

**E**T scio, clarissime Petre, illam Hesiodi sententiam laudari a doctis, quæ hominem beneficii memorem eadem mensura reddere jubet, quæ acceperit, aut cumulatiore si possit; tamen illud etiam non ignoro, tantum esse ab unoquoque exigendum, quantum cujusque facultates præstare possunt. Equidem præter gratum animum & has litteras & vigilias meas, non habeo, quod tibi reddam pro tantis beneficiis, quæ non solum a te, sed etiam a Cosmo Patre tuo optimo, ac sapientissimo viro accepi. Quæ  
cuim